



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Quatenus Oratio sit honor ac cultus Dei 39

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

ciderit. Rectè enim ac Christianè is tantum orat, qui in verè Christianã vitam quoque se tradit. Quicquid de ea desideratur, id etiam verè precationi deest. Quomodo verò res vbiq̃ue nostro tempore comparatè sint, nimis pro dolor, manifestè patet.

Veteres Collectè rectè quidem ad Deum Patrem per Christum vnicum mediatorem dirigunt. Quomodo autem interim plebs, à qua communes istè Ecclesiè supplicationes in Latina lingua absconditè fuerunt, orare fuerit edoctus, testantur Hortuli anime, & tabulè passim iuxta imagines & ossa sanctorum.

---

Quinta pars.

*De Ordinationibus Orationis.*

CAP. XXXIX.

**Q**VINTA accusatio hæc est, Librum velle, Orationem nullis præceptis astringi debere. Contra hoc adferunt, quod apostoli certis horis orarunt, & multi ex S. Patribus ad Canonicas, & ordinarias preces certis temporibus fuerunt, adstricti, quòdque eos, qui negligentiores fuissent deprehensi, acriter corripuerint.

*Responsio.*

**Q**uantum ad hunc locum pertinet, aduersarij partim Librum Reformationis, partim S. Patres calumniantur. Librum quidem, quia nihil tradit contra ordinationem Orationis ad certas horas, quemadmodum apostoli & S. Patres fecerunt: sed prohibet ne iunioribus orandi præcepta ferantur, quibus constringantur conscientie. Sic enim sonant verba Libri, Non vt hoc religione Legis fanciatur, vnde conscientias superstitione obligari contingat.

Si verò Patres calumniantur, scribendo, quod Orationem ad certas horas astrinxerint. Ordinârunt enim non adstrinxerunt: fratres ad id hortati sunt, non coegerunt: neminem abiecerunt aut condemnârunt, qui sine contemptu Dei eiusmodi Horas non obseruauit, quemadmodum nunquam ab omnibus equaliter obseruandas instituerunt aut postularunt.

---

Sexta pars.

*Quatenus Oratio sit honor & cultus Dei.*

CAP. XXXIX.

**S**EXTA accusatio habet adhuc crassiorẽ Calumniam. Dicunt enim quod Liber Reformationis vetet, Orationem fieri hoc modo, ac si sit opus quo honoretur Deus, sed velit, vt huc tantum dirigatur, quò in necessitate cum res poscit, aliquid à Deo impetrem.

## Responsio.

**V**erba Libri sic se habent: Quartus abusus est, cum oratio pro tali iudicatur opere, quo gratus quidam Deo aut sanctis præstetur cultus: cumque non eò preces funduntur, vt in necessitate cum res possit, aliquid à Deo impetremus: vt, cum verba Orationis Dominicæ, vel *Aue Maria* ore cumulantur, non eo proposito, quod homines indubitato credant, se id quod in Oratione Dominica petunt, certò impetraturos, sed quod Deo ac sanctis orationem, seu præcipuum & singularem cultum offerant, qui ad explanda eorum peccata sit profuturus. Iste abusus precandi non solum pugnat cum verbo Dei, sed iudicio rationis etiam ineptus est & ridiculus.

Ecce quid reprehendit Liber, nempe hoc solum, quòd stolidi homines putant, recitationem verborum, etiamsi id, de quo verba sonant, non serio & ex animo à Deo petant, gratum esse & acceptum Deo cultum. Vnde fit vt Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam tam infinitis vicibus recitent, Deoque appendant, absque vlla consideratione eorum, quæ in verbis sunt comprehensa.

Liber Reformationis docet, non negat, veram ac fidelem orationem cultum esse Dei, imo gratum & acceptum opus. In Oratione enim quæ fit ex vera ac solida fide, agnoscimus, & celebramus Deum pro vnico Deo ac Seruatore nostro, omnemque bonitatè, gratiam & misericordiam ei tribuimus.

Quod verò Basilium adducunt, docentem, In oratione non statim deueniendum esse ad petitionem, ne videamur Deum necessitate coacti adorare, id quantum valeat, vnicique Christiano in promptu est, qui id cum Oratione Dominica & Psalmis conferre volet. In quibus precationibus docemur, in omnibus necessitatibus nostris afflictiones nostras ac totum cor illico coram Domino effundere. Maximam verò necessitatem Christiani semper esse iudicant, defectum fidei & pietatis.

Similis omnino Calūnia est de *Aue Maria*. Liber redarguit hoc, quod Homines Salutationem Angelicam certo numero recitantes eximium D. Virgini cultum se præstare persuasi sunt. Aduersarij verò dicunt, quòd affirmet, Abusum esse, si quis existimet matrem Domini nostri Iesu Christi Angelica salutatione honorari, eaque gaudij inde aliquid percipere.

Vera fide salutationem Angelicam recitare, ac vim verborum diligenter perpendere, simulque beatam celebrare D. Virginem matrem Domini, id Deo non displicet, & est honor Mariæ: contra quod Liber ne verbo quidem pugnat. Verum de gaudijs sanctorum in cælis nihil amplius cõpertum habemus, quàm S. Scriptura nobis commemorat: nempe quod in Christo Domino omni gaudio ac lætitia fruuntur. Nihil verò nos docet de confectis Rosariis. Verum de hoc postea in sequentibus Articulis.

Porro quod Liturgiam Græcam hoc loco citant, quam Erasmus transtulit, in qua Sacerdos aut Episcopus statim post Consecrationem salutationem Angelicam recitauit, quid ex eo consequitur? In Liturgia quæ longo tempore antè Ioannes Tuscus sicut & in ea, quam nuperrimè Pelargus transtulit, nulla fit eius rei mentio, sicut nec in Græcis, Romæ ac Venetijs

ac Venetiis recusis. Græci non minùs quàm Latini quotidie aliquid in Veneratione sanctorum nouarunt, & interim honoribus ac cultui Christi detraxerunt.

*Septima Pars.*

Septima hæc Accusatio non minor calumnia est, præcedentibus. Liber Reformationis damnat eos, qui orationem ore tantum sine serua cordis attentione, & eorum quæ orantur perpensione, recitatam accumulantes, quasi in fasciculum colligentes peccata sua hoc modo expiare volunt. Aduersarij verò dicunt, Librum de Oratione sic loqui, quasi in satisfactionem peccatorum non debeat adhiberi. Quæ verba Liber non habet: & si haberet, malè tamen ab eo posita non essent. Fidelis enim oratio satisfactionem Christi exorat: non autem seipsam pro satisfactione præbet: contra quod nec Cyprianus, nec Basilius, quos Aduersarij hoc loco citarunt, loquuntur. Expiare enim peccata, & maculas ex peccato contractas eluere, nullo modo Orationi adscribunt, vt quæ per se tam præstans opus sit: sed quod per eam eiusmodi mundationem & sordium peccati abluitionem à Deo per Christum exoramus. Alioquin de vocabulo Satisfactionis, quomodo à Patribus vsurpetur, supra in articulo de Satisfactione dictum est.

Decima sexta Accusatio.

*De Veneratione Sanctorum.*

C A P. XL.

**H**X præcipuis venerationibus est etiam hæc decimasexta, de Inuocatione sanctorum, qui ex hoc mundo ad Dominum transferunt. Aduersarij posuerunt de Veneratione sanctorum, verum maiori ex parte de Inuocatione eorum controuertitur. In hac accusatione supra modum laborarunt Aduersarij in congerendo quicquid vnquam corradere potuerunt, ad fucandam & ornandam Inuocationem sanctorum. Ex erroribus verò & abusibus, qui tam multi tamq; horreni circa eam inualuerunt, ne vnum quidem vel minimo verbo redarguant. Quòd si cultus & vera inuocatio Dei tanto studio quæreretur, quantè diuitiæ & gloria huius mundi, dubium non est, quin in hoc tam periculoso & scandaloso negotio, multi se alios demonstraturi essent: Dominus cõuertat ad se quicumque sui sunt. Homines pij, qui alioquin non quærunt occasionem errores, mendacia & abusus conseruandi, & ædificationem Ecclesiæ perferre possunt, ij ex controuersia ista se facillè expedient, si de sequentibus quatuor quæstionibus ex verbo Dei se instrui passi fuerint.

1. *Quomodo sint venerandi sancti.*
2. *Vtrum fruamur meritis eorum.*
3. *Vtrum pro nobis orent.*
4. *Vtrum orandi sint, & pro nobis intercedant.*